

junctissimum; quid? Totum Christianum orbem contra Barbaros fortiter ac feliciter defendere poteris. Sed quæso altero semper oculo ad nos clementer respice, & his regionibus quietem perpetuam indulge. Non florent hæc, nisi pacis beneficio, quippe quod mercaturæ ac agriculturæ, & Metallis effodiendis, & studiis bonarum artium pertractandis inprimis sint deditissimæ. His itaque Dei ac naturæ muneribus & Tu, Domine, fave, & inter armatos tuos Sarmatas ad nos Saxones tuos togatos vultum tuum placidissime converte, paceque nos ac quiete frui gratiosissime permitte. Fidelem hic habes populum, adeo ut in sinu uniuscujusque tutò quiescere, Magnoque illi Principi, qui potentiam & opulentiam suam haud aliunde petebat, palmam dubiam reddere possis. Nosti, ex præcepto divino Cæsari danda, quæ sunt Cæsaris, Deo, quæ sunt Dei. Ad hanc regulam si nos conformemus, & Deo & Tibi non displicere poterimus. Deo ea, inquit ex Ecclesiæ antiquæ Doctoribus Hilarius, quæ Dei sunt, reddere nos oportet, id est, corpus & animam & voluntatem eique innocentiam nostræ conscientiam servare. Reliqua, quæ fortunæ bona sunt, urgente salute publica, Magistratui non sunt deneganda. Tales & nos habebis, Rex Potentissime, qui ut Deo etiam tales perpetuo nos exhibere possimus, piè sancteque, ceu vovemus & speramus, permittes. Sic Polonia Saxoniam nostram de pace ejusque commodis, Saxoniam Poloniæ de Victoriis ac triumphis nunquam non gratulari poterit, mutuumque gaudium prolixissime con-

testari.

Dixi.



SOLEMNIA GRATVLATIONIS,
AD
SERENISSIMVM POTENTISSIMVMQVE
DOMINVM,
DN. AVGVSTVM II.
REGEM POLONIARVM,
MAGNVM DVCEM LITHVANIAE,
RVSSIAE, PRVSSIAE, MASOVIAE, SAMOGI-
TIAE, KIOVIAE, VOLHINIAE, PODOLIAE,
PODLACHIAE, LIVONIAE, SMOLENSCIAE,
SEVERIAE, CZERNICHOVIAE,

ETC. ETC. ETC.
DVCEM SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, ET
MONTIVM, ANGRIAE, ET VESTPHALIAE,
S. R. IMPERII ARCHIMARESCHALLVM ATQVE
ELECTOREM, LANDGRAVIVM THVRINGIAE,
MARCHIONEM MISNIAE, ET VTRIVSQVE
LVSATIAE, BVRGGRAVIVM MAGDEBVRGI,
COMITEM PRINCIPALI DIGNITATE HENNE-
BERGICVM, COMITEM MARCAE, RAVENS-
BERGAE AC BARBY, DYNASTAM
RAVENSTEINII, ETC. ETC. ETC.

DOMINVM NOSTRVM CLEMENTISSIMVM,
IN TEMPLO ARCIS,
AVCTORITATE ET FVSSV PVBLICO,
NOMINE

ACADEMIAE VITEMBERGENSIS,
HABITAE
A
CONR. SAM. SCHVRZFLEISCHIO,

NON. } SEPTEMBR. { FAST. VET.
EID. } { FAST. NOV.
A. DIONTSIANO 11, 126 XCVII.

ΤΩΙ. ΒΑΣΙΑΕΙ.
 ΤΩΝ. ΣΑΥΡΟΜΑΤΩΝ.
 ΑΥΓΟΥΣΤΩΙ. Β.
 ΤΩΝ. ΣΑΞΟΝΩΝ. ΑΡΧΟΝΤΙ.
 ΚΑΙ. ΣΤΡΑΤΗΓΩΙ. ΕΝ. ΚΕΛΤΟΙΣ. ΜΕΓΙΣΤΩΙ.
 ΠΑΝΤΩΝ. ΚΡΑΤΕΡΩΣ. ΚΑΤΩΡΘΩΜΕΝΩΝ.
 Ε. Σ.
 ΤΟΝ. ΕΒΡΟΝ. ΔΙΑΒΑΤΟΝ.
 ΤΗΝ. ΔΥΝΑΜΙΝ. ΠΡΟΣ. ΜΕΛΛΟΝΤΑ.
 ΑΡΚΟΥΣΑΝ.



Aeta est nobis recor-
 datio illius temporis, quod
 Sarmatas et Saxones nova so-
 cietate, ac mutuis officiis de-
 vinxit, populosque finitimos et praepo-
 tentes arctiori foedere, communis auxilii
 et defensionis causa, iam sublata omni dis-
 fensione, et constitutis ad salutem reipu-
 blicae praesidiis, secundo rerum cursu, ac
 prospero consiliorum exitu, coniunxit.
 Nam discessit a nobis SAXO pater, non
 ut patris curam deponeret, et naturae suae
 vim afferret, atque adeo nos destitueret,
 aut desertos esse vellet, sed ut Polonos Sa-
 xonum vicinos et amicos, e discrimine e-
 reptos servaret, regnumque illud, et rei
 Christianae praesidium, quod Thraces et
 Scythae infestum habent, ope et praesentia
 confirmatum, summis viribus tueretur.
 Migravit hinc, non tanquam ex loco per
 iram atque indignationem relicto, sed

tan-

tanquam ex domo sua in vicinam amici domum, quam nutantem ac prope labentem fulcire cupiebat, non quo tecta et pristinas sedes contemneret, sed quia rationibus finium expediebat, ut Saxones cum Sarmatis consociaret, alteros velut filios in solo natos, alteros velut iudicio adoptatos, complecteretur, et utrosque eodem amore diligeret, eadem voluntate defenderet, iisdem denique beneficiis, inita cuiusque dignitatis ratione, ornaret. Venit in Poloniam Saxo, et, quod nulli Saxonum ante eum contigit, liberis Procerum suffragiis invitatus, regnum ultro delatum suscepit, quod etiamnum magnitudine animi sustinet, tutumque praestat, nullam muneris sui partem, nullum laborem et curam a communi utilitate seungens. Mirum dictu, et posteris memorandum, quod in magna bonorum Principum copia SAXO electus, et omnibus aliis praelatus est, quem fortitudinis gloria, cuius momentum est in eo regno maximum, praestare ceteris cognorant, quemque heroum sanguine, et regio genere ortum, natura et moribus, ac indole & animo,

mo, tum singulari in illam gentem studio et benignitate, nemini Regum cedere intelligebant. Praesertim quum is esset SAXO, qui nondum in regni gradu locatus, regios pro republica sumptus faciebat, et suis avitisque opibus, quasi quodam vicinitatis iure, utebatur ad sublevandas regni miseras, ad reconciliandas Senatorum voluntates, ad cives denique ex dolore et metu formidolosi temporis recreandos. Hoc auspicio Sarmatae Regem habent, cuius virtuti summam in terris dignitatem, magna studiorum et sententiarum consensione tribuendam putarunt, in quem intuentur haud aliter, atque in libertatis suae vindicem, et patriae conservatorem. Simul admirantur eum et colunt, eumque vita cariorem habent, qui pro salute regni, plurimos labores subiit, maximasque difficultates pertulit, et caput ipsum quoque in magnum discrimen obiecit, adeo ut omnes, quotquot ad fortunam publicam spectant, ingenuae fateantur, in tali tantoque Principe expressam Sigismundi Augusti imaginem, ac signa invicti herois, et vultum Rege dignum, atque exempla

empla summae, et multis rebus confirma-
tae virtutis, videre se ac venerari. Is autem
quanto maior, atque imperio superior est,
tanto se humaniorem praebet, et accepti
beneficii memoriam servat, patrisque cha-
ritatem in regis folio demonstrat. Se-
cus, atque illis venire usu solet, qui a pri-
vata conditione, et loco humili ad fastigi-
um euecti, non modo non explent cu-
mulate munus, sed etiam in summa felici-
tate constituti negligunt, ac spem promif-
si fallunt, et privatos se fuisse, obliviscun-
tur. Non perinde SAXO agit, et in qua-
vis fortuna idem est, nec regendi cupidi-
tate incenditur, neque regni honore mu-
tatur, propterea quod voluntate Opti-
matum, qui ad dignitatem reipublicae et
libertatem erecti, mature consulebant, ac-
citus, moram, ut timidi solent, non in-
terposuit, magnisque in Poloniam itine-
ribus contendit, ut summam rerum, in
pactorum sanctitate innixam, patriis le-
gibus, et more gentis, et eodem, quo ibi
natus Princeps, iure administraret. Ma-
gnum hoc est, et arduum post homines
natos negotium, et nostra ac vicinorum
inter-

interest, cum praeesse Poloniae Regem,
qui externo Regi non sit obnoxius, et ra-
tionem ac viam imperandi optimam se-
quatur, quae cum ingeniis Procerum fi-
de et amore certantium congruat, neque
ab institutis reipublicae dissentiat, neque
ab usu et disciplina populi Martii abhor-
reat, neque ab officiis amicitiae cum Ger-
manis diutissime cultae recedat, neque a
necessitudine foederum, quae cum finiti-
mis habent, aliena videatur. Nulla ve-
ro, ne tenuissima quidem, in SAXONE
potest residere suspicio iniustae potesta-
tis, quam mores Saxonum non ferunt, nec
leges nostrae patiuntur, quas maiores SA-
XONIS in principatus, regno proximi,
initio ingressuque approbarunt et pa-
cti sunt, et omni temporum statu sanctas
atque inviolatas esse voluerunt. Horum
similis in tuenda libertate est AVGV-
STVS II. horum vestigiis continenter in-
sistit, divinaque mansuetudine refert gen-
tis suae conditores, et hac etiam comitate
nomen domi forisque commendat: ho-
rum exempla ponit ante oculos, et altitu-
dinem animi clementia temperat, ac tota
vita

vita consecratur, quippe ex ea regione,
ex eaque terra egressus, quae nunquam
genuit tyrannum, nunquam aluit patriae
hostem, nunquam fovit libertatis insidiato-
rem. Recta SAXONI mens est, qui id
vult semper atque exoptat, id agit unice,
atque contendit, ut munimentum orbis
Christiani, et arcem propugnaculumque
cultioris Europae, ac murum communis
libertatis Poloniam defendat, pristinae
memor consuetudinis, de qua neutiquam
deflexit, consciusque sibi perpetuae mo-
derationis, quae est avita eius virtus, et
gentile ornamentum, quod ipsum se ex-
tra iniuriam ponit, neque admota vi, nec
terrore illato, quoniam perturbat et co-
git, viresque suas in beneficiis, et magna-
nimitatem in mansuetudine ostendit.
Tantum abest, ut laceffat populos et di-
strahat, ut effici non possit, quin eos com-
ponere studeat, et loco disiunctos conci-
liare velit, maxime quum necessitas po-
stulat, conglutinari amicitias nationum et
gentium, quae ditionis Christianae fines
una et eadem voluntate consilioque tue-
antur. Necdum ab ea mente discessit.
SAXO,

SAXO, qui nusquam saevitiae, passim for-
titudinis vestigia reliquit, atque inter ho-
stium tela versatus, fecit ipse, quae facien-
da praecepit aliis, et barbaros venientes
antevertit, irruentes nec opinato oppres-
sit, cedentes gladio districto persecutus
est, non trahendo bellum, quod langven-
tes et ignavi, saepius avari, solent, quo-
rum haec bellandi ratio est, ut militiam
quaestui habeant, et tarditate sua vincen-
di occasionem amittant. Quae tergiver-
sandi artes, infra SAXONIS gloriam
sunt, qui in campo, quem fors praeliatu-
ro dedit, et in luce militum, atque in so-
ciorum conspectu pugnavit, plenus ani-
mi, nec morae patiens, si in mora pericu-
lum esset, si vis immineret hostium, quasi-
que tempestas effunderetur: hoc magis,
si occasio se daret, si frangere Scytharum
furores, et delere Thracum vires posset.
Nam feroces, et elatos successu barbaros
modo ex improvise obruebat, modo in-
structa acie provocabat, modo perturba-
tos in fugam agebat, modo fugientes in-
sequebatur. Non probra iacere, sed te-
la solitus, ut fulmen belli crederent barbari,
C quos

quos submovit a finibus, et confecto legionum robore, regnum dominatu oppressum liberavit, remque publicam periculi sociam, consilii et fructus sui participem fecit, nec Pannonibus modo & Sarmatas, verum illos etiam, qui proximas terras incolunt, erexit et corroboravit, populosque lingua, origine, et moribus diversos, ac vitae ratione dissimiles in concordiam redegit, atque amicitia, foedere, et aequali iure devinxit, ut societate coniuncti inter se, et consuetudine conciliati, acrius exurgerent, ac se incitarent magis ad abigendas illas pestes, atque ad genus nomenque earum tota Europa exterminandum, et quod omnes boni optant, penitus extingvendum. Quod si enim ulla unquam pactio extitit, quae complevit laetitia animos, nunciumque attulit constitutae libertatis, haec profecto existimari debet, quae pro salute nominis Christiani facta est, et regna, mutuo foedereicto, ab iniuria et servitute vindicavit. Contra quam destinabant barbari, portam utriusque regni occupandam rati, qua introirent secure, et omni immanitate gra-

207p

saren-

sarentur, inde audacia incensi, furorem in vicinas regiones effunderent, nec solum de libertate, sed imprimis de vita et imperio dimicarent. Quod consilium, cum scelere et perfidia coniunctum, Divus Pater Ioannes Georgius III. providit ante, et bellum praeparavit, atque opibus, et armis iuvit Augustum, nullo perturbatus rumore adverso, nec deterritus instanti periculo, aut retardatus communi metu, cum pro charitate patriae, et amore in Leopoldum, castra quam posset celerrime moveret, et barbaros summa vi irrumperentes exciperet fortiter ac repelleret, dux praesentis animi, et stans ante aciem, nec magni ducis magis, quam strenui militis munere perfungens. Sub hoc belli imperatore, tyrocinium Rex posuit: sub hoc patre optimo atque fortissimo, prima in castris munia obiit: sub hoc adolescens, ex aula discessit, ut in loco arduo, et hostibus circunsepto versaretur: sub hoc iuvenis, periculorum laborumque mercedem ac praemium obtinuit, ut patris exemplo ad altissimum laudis bellicae gradum, non commendatione aliena, quae
tini

timidos arguit, sed virtute sua ascenderet, atque in tot tantisque rerum humanarum casibus nihil facile, nec mortem ipsam, extimesceret, cuius formido rectum ad summos militiae honores iter impedit prorsus atque intercludit. Magnos enim Principes natura fingit ad vitam, a mollitie, et ignavorum consuetudine abhorrentem; nec sibi decorum putant, quod laboriosum non vident: labores autem duntaxat gravissimos capiunt, ad quos suapte vi, in qua divinum, quiddam inest, se impelli sentiunt, sive ad saga eant, sive ad togae negotia accedant. Non potest nunc dici, nedum collaudari satis, quo semper animo Rex fuerit, quanto usu consuetudineque regendi se firmaverit, priusquam partes maxime arduas capefferet, operamque in regno administrando collocaret, quippe non commissurus, ut eius regni auctoritas, quae in tranquillitate posita est, ulla sua culpa exolesceret, et decus atque amplitudo reipublicae, quam concordia retinet, imminueretur. In huius perfunctione muneris peritum et cautum navis gubernatorem imitatur, qui coorta

tem-

tempestate, non refugit periculum, atque in puppi sedens, etiam adverso vento moderatur, cursumque dirigit, et mira solertia flectit, ut ex longa difficilique navigatione tuto venire tandem in portum possit. Eadem fide, et maiori diligentia clavum tenet Rex AVGVSTVS II. haud passurus, navem diu iactatam, rectore destitui, quae, nisi eius saluti prospiceret, ad scopulos appulsa, procellisque agitata, deprimeretur fluctibus et mergeretur. Novum ergo faustumque navi iamdiu fluctuanti sidus illuxit; quod eam, non secunda aura longius provectam, in alto et periculoso mari regat, lumineque suo charitatem ac benevolentiam accendat quotidie et foveat, caloremque impertiatur membris, ut suo quaeque loco vigeant, ne fatigata, in officio cessent, nec frigore confecta obrigescant. Tantum in eo Rege situm est, qui omnibus in rebus summam admirabilemque industriam praestat, nec quidquam praetermittit, quod possit esse aliis Regibus exemplo, ut amoris Procerum amore mutuo respondeant, fidemque fide sanciant, et religiose colant. Vnus

D

ille

ille regnum virtute sustentat, et spem publicam beneficiis alit, atque in eo naturae suae obsequitur, quum agri instar culti et fertilis, plus reddit semper, quam accipit, fructusque expectatione maiores praebet ultro, et in commune confert. Res ipsa loquitur, Regis benignitatem nemini esse clausam, eoque magis patere eius regni civibus, in regis auctoritate, patris indulgentiam admirantibus, quorum vocibus oppida et vici personant, cunctos Reges liberalitate **AVGVSTI II.** superatos, et robore animi fortissimos quosque aequatos. Vincit opinionem magnitudine rerum, quas gerit, et sapientia regit. fortunam, qua prospera lactantur vicini perinde ac focii, quos memoria regis desideriumque tenet, sed hostes ut laetitiae huius voluptate carent, sic timent valde et gemunt, atque anguntur merito et conturbantur. Illud postulabat religio pristini foederis, et efflagitabat vetustas necessitudinis, inter Germanos, Sarmatasque contractae, quae utrique nationi ornamento est, ac inde ab ultima Tuisconis aetate, et constituto in Europa imperio, atque

que a Tanai flumine, ultra Tyram, Borysthenem, et Istrum prolato, conditoris famam, et consociati populi gloriam auget, neque obscuris praedicatur annalium monumentis, quae maiores nostri ad sempiternam huius coniunctionis memoriam extare voluerunt. Fuit ergo tempus, quum Sarmatae et Teutones, Poloni, et Teutonum haud postremi Saxones, uno amoris vinculo astricti, conspirarunt ad ornandam rempublicam, in qua aequo iure, et pari laude libertatis diu omnia communia habuerunt, et socii atque confortes, non artibus, sed usu instructi, ad consilia capeffenda, et ad res gerendas accesserunt, et Reges suos libenter secuti sunt, sine quorum auctoritate nihil prodesse leges, nihil valere ius moremque maiorum existimarent. Eandem causam eodem studio agebant, eosdem hostes coniunctis viribus depellebant, eadem diligentia regnum amplificabant, eadem fide, et mutuis auxiliis amicos tuebantur, ut ne in suspicionem quidem deserti officii venirent, et mortem potius perpeti, quam hanc subire notam vellent. In quo posterio-
maio-

maiorum virtutibus respondent, atque ex longissimo etiam temporis intervallo, foedera saepe ac necessitudines iungunt, quod suas vicinorumque res vix aliter stare posse iudicant, honorisque certamen in eo verti intelligunt, nihil ut per imprudentiam fieri sinant, quo aut regna dilabantur, aut vita fortunaeque Regum periclitentur. Non ingredior in hanc causam, nec repeto altius, quae in omnium ore versantur: longum foret afferre exempla, quorum pleni sunt annales, et passim fama celebrantur: de industria omitto Piatos, cum quibus augusta dignitate Saxones, patriae et finium negotia transegerunt: nec multus sum in percensendis Iagellonum amicitiiis, quas maiores AVGVSTI II. sincera fide, et incredibili constantia servarunt, gentemque suam Polonicae necessitudinis laude cohonestarunt, neque tamen hac propinquitate ad invidiosam potentiam usi sunt, nec affinitatibus ullum regno detrimentum attulerunt, ut difficile dictu sit, mitisne ingenii, an modesti moris exemplo placerent magis et delectarent. Mira haec fortunae benignitas fuit,

fuit, quam adiuvit summa Regis, et omnium Ordinum voluntas, nec sine divina ope tanta res geri potuit, et coelesti quoque consilio perfecta est, cum summam nascendi dignitatem, et cumulatissimam naturae bona, maximus aequaret connubii splendor. Nam ut Iuno quondam Turno, Rutulorum Duci, in consiliis adiutrix, sic Barbara, Georgio, Regis Casimiri filia, Principi Saxonum, & Polonici nominis amanti, etiam vitae socia et coniunx data est, et divinitus donata, quo sempiternae fidei pignus esset, ac genere et sanguine suo Saxoniam compleret, et suas patrisque virtutes excitaret in posteris, Iagellonumque fortitudinem propagaret felix mater, et summa charitate patriam complexa, neque commutata animo, sive inter Polonos, sive inter Saxones versaretur: quorum alteros ob cognationem generis: alteros ob matrimonii sanctitatem amavit, et officii prosecuta est, ac moriens, inter se coniunctissimos utrosque populos reliquit, et praepotentes generos ad necessitudinem, ac societatem Saxonici nominis adduxit, eademque opera Polonos, belli externi

E cogi-

cogitatione distractos, ad curam regni et concordiam excitavit spe auxilii, et confirmavit amicitia nostrae gentis. Non fortuito, quemadmodum eventus docet, sed ut res testator sit, utrosque sibi mutuo salutis publicae auctores fuisse: Polonos in constituenda iuris et iudiciorum aequalitate, Saxonum exempla secutos, tribunalia eorum consuluisse: Saxones pro veteri necessitudine et cognatione, gratos et memores, summa fide sustinuisse has partes, et iudicii, quod requirebatur, aequitate subnixos, non defuisse officio, et consiliorum societate usos, cohortari se et defendere legibus armisque voluisse. Quae res cordatos regni Proceres, fidosque Equites, movit nuper et admonuit, ut in hac terra, quae Principem patriae fortissimum genuit, Regem tempestive circumspicerent, et libere eligerent, remque publicam, reconciliatis Senatorum animis, salvam atque incolumem conservarent. Vicit tandem causa Saxonis, quoniam vicit amor Polonorum, qui suam Saxonumque fidem testati, ora et oculos in hunc unum convertunt, per quem delicias suas recuper-

perarunt: hunc amplectuntur, et laudant, quem benignum esse, et aequum sciunt, ac indies experiuntur: hunc in loco parentis colunt, quo annitente, felici inter se nexu colligati, concordiam et robur redintegrarunt: hunc suspiciunt et admirantur, in quo et delendae immanis Scythiae, et opprimendae ferocis Thraciae spem reponunt: hunc Principem Saxonibus regendis natum, Regem in Polonia factum, et suffragio creatum, omnibus, et externis Regibus, communi sententia et voluntate, multis gravibusque de causis, praetulerunt, ut fortis praesertim fortibus, et Polonos Sorabosque, et, qui his successerunt, Misnenses, atque in superiore Albis tractu Saxones, novo rursus foedere, et opportuna animorum consensione, ac usu, et consuetudine copularet, praesertim hoc temporum statu, quo regna barbaris obiecta, devinciri mutuo et confirmari oportebat. Non fas sibi esse duxit cunctari **AVGVSTVS II.** cum probro esset cunctatio, et auctori suo inutilis ac perniciofa maxime, qui se fortunasque suas pro incolumitate regni devoverat, ut miseriam detraheret singulis,

lis, et dignitatem augetur uniuersis. Quod consecutus est, non magis regendi scientia, quam mira quadam arte pertractandi animos, & solertia excitandi cunctantes, ut carendo, damnum intelligerent, et tempestive eligendo, repararent, ac velut e gravi morbo recreati, novam denuo voluptatem perciperent, et fruendo agnoscerent, omnes unius AVGVSTI II. opera servatos. Nihil ad nationis praesidium utilius, nihil ad reipublicae ornamentum accommodatius fieri potuit, quam quod unus ille ex omnibus, qui regnum susciperet, dignissimus est iudicatus; non genitus quidem Rex, sed iudicio assumptus, divinoque auspicio confirmatus, eo praesertim tempore, quo Hercules et Camilli exempla renovabat, et armatus iterum in Pannoniam, monstra domiturus, cogitabat, nec rationibus, ne id faceret, impediatur. Id conantem, et vires suae gentis copiasque cogentem, divina quaedam vis retinuit, et consilio intercessit, atque AVGVSTVM II. delegit, quem depulso Pannoniae hoste, Poloniae servaret, Regemque daret, et libertatis defensorem.

Hoc

Hoc fortitudini pretium coelestis quaequam fortuna constituit, hoc fortissimo propugnatori beneficium, fati indulgentia praestitit, hoc iustissimo victori praemium natio bellicosa persolvit, hunc Regi fructum auctoritas Procerum attulit, et summam unius dignitatem cum salute omnium coniunxit. Habebat Polonia, quod Saxoni tribueret: habebat Saxo, quod Poloniae rependeret, in quam non exercitu et armis, sed benevolentia munitus introivit, ut regnum vulneribus confectum, suo praesentis consilio, tanquam remedio sanaret. Magna equidem corpora gravioribus morbis tentantur, et curatio hoc difficilior est, quo vis morbi vehementior, medullas petit, et viscera infestat, ac data via, per venas se diffundit, et totum corpus subit, vitiumque non resistendo alit, ac negligendo magis auget, et reliquas vires infirmat ac frangit, et succo omni et sanguine consumpto, ipsam vitae sedem expugnat, nec minimam convalescendi spem relinquit. Saepe enim regnorum opes cum annis pereunt, temporumque iniuria conficiuntur, et virtus ipsa

F


ac

ac industria interdum langvent, et longo usu quodammodo senescunt, atque omnia paulatim ornamenta extinguntur: sed Polonia, fortium parens, et patriae amanti-um nutrix, pristinum gentis robur, et gloriam, ad hanc usque aetatem perduxit, necdum laude cessit maioribus, quorum exempla intuentur posteris, et eandem ingrediuntur viam: illi velut ex altissima coeli specula despiciunt, rei publicae tutelam et patrocinium spondent, quoad virtus militaris concordiam firmabit: hi nihilo deteriores parentibus, neque in officio et patriae charitate dissimiles, et eoque dignitatis suae retinentes, dum AVGVSTI II. auspicia coniuncti sequuntur, et prisca moris disciplina, principes suae gentis et conditores referunt, et cum tranquillitatem amant, tum contentiones averfantur, statumque regni fide et constantia tutum praestant, pares fortunae, et rerum magnarum capaces, nec minus consulendo, quam agendo prompti, Antistites ad infulas, ad consilia Senatores, ad signa in campo Equites, periculorum socii, et pro communi causa armati defensores.

Qui-

Quibus hanc Deus mentem iniecit, utopes fortunaeque tanto suffragiis creato Regi crederent, et vitam ac libertatem, in corona Procerum unice commendarent: Regi aetate rebus matura, corporisque habitu et dignitate, orisque maiestate et vultus specie regia, priusquam Rex esset: Regi, at sine clientelae nexu, Regum cognato et affini; Regi pacis et belli causa constituto: Regi ad salutis publicae studium tota mente converso, atque in obeundis regni muneribus assiduo et indefesso: Regi denique ad faciendam legibus amicitiam, et ad componendos motus, ac placanda odia divinitus electo. Cum enim multa ei a fortuna, tum longe plura quoque a natura, et rerum omnium parente, tributa sunt, quae magnum illud divinumque animi lumen, in tempestatibus reipublicae ac tenebris, semper ostendunt, nec obiecta nube, et nebula, occultari leviter, neque obscurari ad tempus, necdum plane ac omnino eripi patiuntur. Etenim corpore in terris, et uno regni loco versatur; animo et cogitatione regnum, et cunctas regni partes ac provincias percurrit,

rit, nec terrae finibus concluditur ille vigor, aut tectis duntaxat et parietibus continetur, sed exit liberius, et huc atque illuc se versat, et castra implet, summamque reipublicae sustinet, et idem, quod orbis, gloriae spatium sibi definit. Huius ergo bonitati omnes confidunt, et voce publica incitantur, ut hoc Rege, nihil timeant, et fide Regis auxilioque nitantur, qui, aetate adhuc florente, res tantas suscepit, quantas, ne protracta quidem Reges destinarunt, vix homines, post conditam certe Poloniam, cogitarunt: illi praesertim, quos cura haec propius tangit, et necessitudo officii arctius iungit, quoniam commune securitatis praesidium, quo antea nudati erant, hoc tali auctore et vindice, laeti ad unum omnes receperunt. Nihil iam audebunt scelerati homines, et barbari sub pellibus contremiscent, si Regis purpuram, et nova insignia, fulgoremque armorum in castris viderint, nec magis rumore et nunciis, quam rebus factisque intellexerint, AVGVSTVM II. Regem, constitutis Poloniae rebus, ipsos etiam ultra Hypanim et Hebrum populos, aut sedibus submotos, aut subactos et deditos, ac ditionis Christianae finibus descriptos, Graecosque, deiecto tandem iugo, eiusdem libertatis socios, summa, quam Europa suspicit, virtute, et salutari consilio, nec retardato fortitudinis impetu, vindicaturum deinceps, et pari constantia servaturum, conditoque, ut spes cunctos tenet, in Thracia imperio, magnas atque incredibiles Polonicae genti felicitates, potentiam, opes, cumulado quoque provinciarum accessionibus regno, secundis, quos exoptamus, successibus allaturum.



RECTOR
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS,
IO. HENRICVS
BERGER D.

CONSIL. ELECT. SAX. PAND.
P. P. & h. t. ORD. IVRID.
DECANVS,

CIVIBUS ACADEMICIS
S. P. D.



Quod faustum fortunatumque Saxoniae sit! SAXO EL. primus in sua gente Rex Poloniae electus, et Nonis Septembribus, sacro et solenni ritu inauguratus est, cuius admiratio felicitatis afficit omnes et admonet, ut suam quisque operam et gratulandi studium profiteantur. Cum autem regna saepe in casu et fortuna posita sint, tum Polonicum illud, Martiumque Regnum, in ultimis Christiani orbis, quae ad barbaros vergit, excubiis collocatum servari interest, et virtute consilioque administrari. In quo summam Regis auctoritatem obtinet Principum maximus fortissimusque, **FREDERICVS AVGVSTVS**, propugnator antea Hungariae acerrimus, nunc terror omnium immanissimorum hostium, qui fines Poloniae infestos habent. Quae nobis causa est, cur gratulationem novo Regi faciamus, atque ut diu

diu et feliciter praesit, votis precibusque contendamus. Nam Deo Reges curae sunt, cuius numine regunt, et res humanas moderantur, clavumque reipublicae, etiam coorta tempestate, tenent, neque in maximis fluctibus abiiciunt, neque in ultimo naufragii discrimine animum despondent. Hoc animo est Rex noster, praesenti in periculis, firmo in dubiis, constanti in adversis rebus, quae non secure spectat, sed agendo et enitendo vincit. Stat ante signa, cum pugnat, et laborantibus tempestive subvenit, viamque facit ad dissipandos, aut frangendos hostes. Vires Thracum in Hungaria obtrivit, profligato hoste barbaro et impio, ut quantum laboris bellici praemium esset, tantum victori decus servaretur. Reverso ex Hungaria, praeter gratulationes varias, nunciatum est Polonicae gentis in eum singulare studium, quo tunc quidem ad regnum capeffendum invitatus, et cum res succederet, nova honoris, qui omnium est in terris maximus, accessione cumulatus fuit. Quae solennia non multis abhinc diebus in regia Cracaviensi, plau-

plaudente, et Regem prosequente senatu
regni, populo maxime ad gratulationem
effuso, feliciter et auspiciato peracta sunt;
his rebus vero excitari nos intelligimus,
et vocibus procerum, qui pro Rege cu-
rant, et exemplis admoneri, ut eadem
pietatis contentione, votis pro Regis sa-
lute conceptis, in hac vrbe, et in arce, at-
que arcis huius templo, more maiorum,
pie ac publice concelebrentur. Quare
mea patrumque sententia delectus est
Collega noster, Conradus Samuel
Schurzfleischius, qui nostro omni-
um nomine gratulandi munus susciperet,
religionemque obsequentis animi AV-
GVSTO II. POLON. REGI, DOMI-
NOQVE NOSTRO restaretur. Cu-
ius instituti causa obsecramus Perillustres
et Generosissimos Barones, Patres, omni-
umque Ordinum Hospites, et literatae
reipublicae Cives omnes ac singulos, ut
confectis rite ab hora II. sacris, frequentes
adesse, et in gratulationis partem venire
ne graventur. P. P. Dominica XVII.
post Trinitatis, Anno Dionysiano
clō lōc XCVII.



7

ORATIO FUNEBRIS
Quam
MEMORIAE
DIVI
CHRISTIANI,
SAXONIAE DUCIS, &c.

Juventutis Altenburgicae Principis,
ad V. Junii diem M. DC. LXVIII.
pie de nati,

Consecravit,

Inque

Collegio Illustri Wirtembergico,

Die XX. Mensis Januarii Anno M. DC. LXIV.

solemniter habuit

BERNHARD Pflug.



TUBINGAE,

Excudit JOH. HEINRICUS REISIUS.